DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
SCORBUTO
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI ET MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN CELEBERRIMA
ACADEMIA JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

ANTONIUS SCHANTIN,
Bohemus Zdiarensis.
Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Junii 1841.

VINDOBONAE.
Typis Josephi Ludwig.

K. u. k. Militärärztliche Bibliothek

Standort			Katalog	
Zimmer			Abth.	
Kasten			Gruppe	
L. Nr.			Nr.	

PROOEMIUM.

In eligendo objecto necessarium mihi fuerat, ut elaborem materiam, cujus mihi in clinico medico practico observandi occasio erat, non ut aliquid novi invenire, sed potius aliquid saltem ex mea observatione proficui proferre putem. In elaborando themate consului J. N. Raimann, D. A. G. Richter, J. P. Frank.

DENOMINATIO ET DEFINITIO MORBI.

Scorbutus (germanice Scharbock, Scorbut) ea est cachexia, quae debilitate totius corporis, sensu lassitudinis praecipue post somnum, genuum rigiditate, motus segnitie, dispnoea animo dejecto, tristitia, colore pallido et tumescentia faciei, gingivis laxis, fungosis, coeruleis, sordidis prurientibus, minimo adtactu sanguinem stillantibus dentium vacillatione, cute squallida et sicca cum maculis lividis; urinae profunde rubra et rubra in putredinem subito ruentes; proclivitate in haemorrhagias tum internas quam externas et ulceribus praesertim in pedibus, insignitur.

ORIGO.

De modo originis et antiquitate hujus morbi multum disputatur. Verosimile est, scorbutum jam antiquissimis temporibus exstitisse, sed sub alio nomine; nam symptomata, quae Hippocrates de lienibus magnis etiam scorbuto convenientia, sic venter inflatur, turget; color faciei pallidus, nigrescens; gingivae male olent; ulceres in cruribus.

Congruunt etiam, quae, de ilio agens dicit: gingivae male olent, a dentibus abscindunt, e naribus sanguis fluit, ulcera nigra ad crura.

Certe scorbutus omni tempore homines invasit, quia causae, quae hunc morbum producunt, jam hic jam alibi adfuerunt. — Longioribus itineribus seculo decimo tertio frequenter mari susceptis etiam scorbutus tamquam morbus navigantium in Europa observatus fuerat.

Seculo tandem XVI. ubique fuit notus et a pluribus descriptus et non paucos adduxit, ut fieri solet, errores, sic e. g. arthritis, rheumatismus, exanthemata chronica discrasiae scorbuticae adscribebantur.

Serius ab his erroribus recedebatur, quod diversorum medicorum plura egregia scripta praecipue anglicorum ut Lind, Milmann-Plane demonstrant, quae jam clariorem de scorbuto conceptum praebent.

DIVISIO.

Scorbutus juxta auctores nonnullo dividitur in terrestrem et maritimum. Sed haec divisio nullius est valoris, nam in utroque occurrunt eadem symtomata, eaedem agunt causae, eadem sunt remedia, quae sanant.

Alii contagiosum et non contagiosum — haereditarium et acquisitum distinguunt. — Experientia vero docet, scorbutum hucusque omni indole contagioso carere nec unquam haereditate fuisse propagatum. Idem valet de divisione in calidum et frigidum, in acidum et alcalinum, acido-austerum et rancidum.

Majoris momenti est divisio secundum cel. Frank et quidem:

1. Secundum causas:
   a) in scorbutum ex debilitate indirecte, qualis est scorbutus ex abusu mercurialium et spirituosorum.
   b) ex debilitatae directe natum.
2. Secundum dominium:
   a) in endemicum ut in regionibus paludosis.
   b) in epidemicum, qualis circa annum 1750 in America septemtrionali, Parisiis et in Brabantia apud Batavos observatus fuerat.
   c) in sporadicum, qui singulum mortalium adgreditur.

DESCRIPTIO MORBI.

Scorbutus tria observare solet stadia totidem etiam gradus morbi increscentis repraesentantia.

Stadium primum. Scorbutus ab initio lente accedit, quare etiam symtomata prima difficile, serius facile cognoscenda sunt. Initio adparent insolita lassitudo, segnities motuum muscularium; gravitas et stupor extremitatum inferiarum, rigitas genuum, animi dejectio. Mox aeger adeo delassatum se sentit, ut vix procedere possit. Accedit debilitas visus, facies pallida, livida, inflata cum annulis coeruleo - viridibus circa oculos.

Mox oritur foetor ex ore, gingivae pruriunt, rubent; laxae, fungosae, squalore abductae sunt, et sanguinem facillime fundunt; sapor ingratus, anorrexia, appetitus in acida; respiratio difficilis, anhelosa et fere deficiens, post exiguum corporis motum institutum. Cutis squallida, sicca et nitens.

Adparent tandem maculae fuscae, nigrae, flavae, croceae magnitudinis diversae et quidem initio in extremitatibus inferioribus praecipue in suris, quae saepe confluunt et non raro vibices formant, serius margine nigro cinguntur; faciem fere nunquam corripiunt et simul oedema pedum se manifestat; pulsus est tardus et debilis; urinae sunt turbidae, fuscae in putredinem prona. Sanguis evacuatus nigrescit, et magnam quantitatem seri tenet, et placentam insimul mollem format mox putrescentem.

Stadium secundum. In hoc stadio symtomata supra nominata augentur et post aliquot hebdomadas associuntur: Peculiaris musculorum durities, articulorum rigiditas, praeprimis genuum, quae nonnumquam tumoris albi instar intumescunt; porro dolores lancinantes, pungentes, rheumatismum aemullantes in artubus et ossibus. Gingiva a dentibus recedit, qui vacillant, nigrescunt et excedunt; saepe saepius caries ossium maxillarium insequitur. In abdomine dolores colici cum umbilico adtracto et ano sursum levato oriuntur; alvus maximam partem obstipata est. Vires magis magisque cadunt; aeger vix se movere valet et sub levissimo motu, lypothimia corripitur; imo etiam paralyses extremitatum accedunt. Pulsus debilis, parvus, mollis et tardus tangitur. Associuntur porro haemorrhagiae ex gingiva et reliquo oris cavo, e naribus et pulmonibus sub tussi et dispnoea, e ventriculo sub intensa emesi, ex ano sub diarrhoea sanguinolenta et ex organis uropoeticis; sanguis ipse ejectus niger et solutus prospicitur; non raro adparent vulnera in diversis corporis partibus praecipue in suris et femoribus et ossium fracturae.

Ulcera ipsa propriam habent indolem et quidem fundo laxo, plano et fungoso insignuntur.

Oriuntur excrescentiae, quae cinguntur margine tumente, fungoso, coeruleo aut fusco, ex quo et tote ulcere sub levissimo attactu profluit sanguis non coagulandus et solutus; plagae ulceribus vicinae sunt lividae et oedematosae.

Stadium tertium. Morbus hocce in stadio summum adquirit gradum. Debilitas in paralysim non raro transit; accedunt lypothimia, convulsiones, dispnoea, haemorrhagiae profusae et exhaurientes ex diversis organis, foetor intollerabilis, frigus extremitatum, cutis nigricans, icterus, hydrops, febris putrida et singulae corporis partes gangrena corripiuntur.

DURATIO ET DETERMINATIO.

Duratio hujus morbi diversa est, modo ad aliquot septimanas modo ad menses se extendit, quod partim a vehementia et duratione morbi, partim ab influxu causarum, quae difficulter aut minime sunt amovendae, dependet, quare scorbutus maritimus intra paucos dies non raro in mortem transit, cum terrestris lentius decurrere et minus periculosus evadere solet.

Scorbutus vel in sanitatem, vel in alium morbum cachecticum, e. g. dolorem chronicum et contracturam artuum, ankylosim spuriam et hydropem transire potest, cum ulceribus et profluviis diversis et languore virium insignem vel etiam morte determinatur, et quidem per solutionem sanguinis et exhaustionem virium vitalium.

SECTIO CADAVERUM.

Sanguis reperitur putrida et nigricans; in cavis majoribus et quidem in cavo pectoris abdomi-

nis accumulatio seri viridescentis et corrodentis; diversae plagae corporis gangrenosae, praecipue in visceribus, omnes musculi, etiam cor pallescentes, alia organa uti pulmones et lien, subatra et soluta, ossa emollita et fragilia inveniuntur.

NATURA MORBI.

Pathologia humoralis contendit, scorbutum esse morbum, qui consistit in corruptione humorum primitivorum, hinc scorbutus acidus, alkalinus-austerus et rancidus adsumebatur.

Alii essentiam hujus morbi in acrimoniis alkalinis, in succo ossium corrupto, alii in putredine sanguinis quaesiverunt. Sed in quantum Pathologi humerales errant ex eo patet, quod quilibet morbus a debilitate ortus etiam sanguinis solutionem ostendit, quin reliqua symtomata scorbuti adsint. Porro institutione chemica evictum est, sanguinem scorbutici vix quacumque ratione evacuatum nequaquam putridum esse, sed tantum extra corpus humanum et aëri atmosphaerico expositus statim putrescentia corripitur.

Pathologi solidistae naturam hujus morbi ponebant in debilitatem, laxitatem et mollitiem partium solidarum, quare inde remedia antiscorbutica et roborantia efficacia inveniuntur.

Sed humores organismi vivi nec solum legibus chemicis nec partes solidae rationibus dynamicis subjectae solum sunt; nam humores gaudent irri-

tabilitate dynamica, et partes solidae mutationes mixtionis chemicae quoque experiuntur.

Recentioribus temporibus clariorem ideam medici observationibus suis cum maxima diligentia institutis sibi comparavere, et in suis scriptis in uno eodemque consentiunt, quod natura hujus morbi in abnormi reproductione per processum vitalem determinata et dependente vitiata vegetatione, quae praecipue in systemate venoso adparet, dependeat.

VARIETATES.

a) Morbus maculosus haemorrhagicus Werlhofii et

b) Cancer aquaticus.

Hi duo morbi a nonnullis pro propriis habentur morbi, sed tantum varietates exhibent scorbuti,

Morbus maculosus haemorrhagicus W. jam sine prodromis, jam praecedentibus per aliquot hebdomades lassitudine, anorrexia, dejectione virium corporis et mentis, maculis rubris vel coeruleis saepius subnigrae, sed sine pruritu aut alio inflammationis signo adparet. Accedunt etiam haemorrhagiae diversae e naribus, ore, pulmonibus, rarius e renibus, vesica urinaria, utero, meatu auditorio aut primis viis; debilitas, sensus oppressionis pectoris, tensio in regione abdominis et non raro tussis insignis.

Duratio hujus morbi varia est, maxima ex parte lente decurrit. Raro sub haemorrhagiis sive inter-

nis, sive externis, exhaustione virium aut alio infelici exitu mors insequitur.

Ex his dictis patet, morbum maculosum haemorrhagicum Werlhofii fere eundem esse morbum cum scorbuto, sed hunc tamen magis in universali debilitate et laxitate omnium partium solidarum, illum vero in debilitate et laxitate praesertim cutis, vasorum absorbentium et arteriosorum consistere, putandum est.

Cancer aquaticus, qui praesertim in infantibus reperitur, antecedente lassitudine, inquietudine, appetitu prostrato, obstipatione alvi et levibus motibus febrilibus insignitur. In facie bucarum aut labiorum interna, in gingivis, palato, lingua et tonsillis super tumorem oritur macula subrubra, pisi magnitudine, quae dolorificum in medio punctum album continet; margine magis rubescente dolor increscit, plaga sub puncto solvitur, crusta formatur, quae vel decidit, vel morbo increscente partes vicinas destruente extenditur et majori adhuc gradu in non tantum molles sed etiam duras partes devastat, increscit debilitas, difficultas respirationis, accedunt excretiones colliquativae et sub exhaustione virium mors insequitur. Exinde patet, morbum descriptum esse ulcus scorbuticum gangrenosum eo magis, quod easdem agnoscit causas producentes.

AETIOLOGIA.

Causa proxima est solutio sanguinis cum imminuta hujus vitalitate, plasticitate et pronitate in putrescentiam.

Ad causas disponentes aetas provecta, aetas vero infantilis illa scorbuti varietate vexatur, quam cancerem aquaticum adpellamus, constitutio corporis tenera, debilis, laxa, spongiosa, temperamentum flegmaticum, melancholicum, tristitia, animi pathemata deprimentia, morbi antecedentes debilitantes et exhaurientes, uti haemorrhagiae, tabes, hydrops, icterus, chlorosis, infarctus diversorum organorum enumerari merentur.

Inter causas excitantes primum locum tenet:

1. Constitutio aeris atmosphaerici vitiata et quidem

a) Aër perfrigidus, unde venit, quod hic morbus tam frequenter occurrit apud populos, septemtrionales regiones incolentes, uti sunt Grenlandi, Norvegae, Britanni, Russi etc.

b) Aër humidus. Ubicumque scorbutus aut epidemicus aut endemicus observatus fuerat, aër humidus semper tamquam causa excitans inventa est. Frequens inde reperitur ad littora maris, in regionibus paludosis et humidis uti in Anglia, Batavia, Aegypto etc.

Observatur praecipue eo tempore ubi fre-

quentes pluviae, nebulae et inundationes existunt.

c) Aër maritimus. Ex eo, quod tam frequenter aëre maritimo excitatur, nonnulli putavere, aëri huicce aliquid inesse proprii, quod scorbutum provocat, sed chemia docet, aërem maritimum iisdem constare principiis ac terrestrem.

d) Aër impurus et inclusus, quod fit, si heterogeneis gasibus et vaporibus impregnatus est, imminuto oxygenio. Hac ratione invenitur aër navalis, carceralis, aër in castris et urbibus obsessis, in cubilibus praeprimis subterraneis magna copia hominum inpletis; ubi varii processus fermentationis peraguntur; ubi grassante epidemia et mortalitate, tempore proclii, si cadavera humo non tecta, putrescunt.

2. Quantitas et qualitas ciborum et potulentorum vitiata.

a) Penuria victus magna scorbutum excitat et maximam partem etiam hoc tempore epidemicus erat ut anno 1763 Neapoli, anno 1771 et 1772, ubi homines de radicibus herbarum, corticibus arborum vivere coquebantur.

b) Victus et potus corrupti, caro putrescens, pinguia, rancida, panis non fermentatus et ex farina malae indolis paratus, ut farina est ex

frumento lolio temulento et secale cornuto et similibus, sanitati adversa immixto.

c) Cibi parum nutrientes aut difficulter assimilandi uti sunt: Caro caprina et porcina, pisces, alimenta pinguia sale marino condita, caseus, oleum, lentes et frumentum turcicum etc.

d) Defectus vegetabilium, qui a nonnullis pro sola causa habetur. Sed etiamsi sub usu vegetabilium morbus sanatur, ex eorum tamen defectu non semper origo scorbuti repeti potest; in Lapplandia enim, America septemtrionali quotannis vegetabilia deficiunt, scorbutus tamen endemicus non reperitur; ex alia parte quaedam Italiae regiones vegetabilibus divites, scorbutum fovent.

e) Abusus salium, sed absque sufficienti causa accusatur, quia inter pauperes, in urbibus, ubi cum aliis etiam salis defectus aderat scorbutus grassabatur, e contra immunes manserunt, qui usui salis copioso adsueti fuere.

3. Neglecta corporis cultura, spurcities corporis vestimentorum et domicilii.

4. Motus corporis deficiens, quare otiosi, per longius temporis lecto adfixi obsidione inclusi et incarcerati, scorbutici facillime fiunt.

5. Animi pathemata deprimentia. Ex qua causa moeror, timor, tristitia anxietas, taedium nostalgia, atrae omnis generis curae, gravissimis adnumerantur scorbuti causis.

6. Morbi diversi tum febriles tum afebrilles; quia in utroque opus sanquivicationis, reproductionis se- et excretionis plus vel minus turbari potest, uti in febri intermittente, haemorrhagiis, scabie, lepra et infarctu diversorum organorum. — Experientia docet, inter milites illos scorbuto corripi, qui jam saepe saepius ex febri intermittente et recedivis frequentibus laboraverunt.

Sunt, qui syphilitidim pro causa sufficienti scorbuti habere volunt; sed syphilitidem perse solum non quam potius ejus nimiram durationem, ex inde ortam debilitatem et abusum mercurialium scorbutum adducere valere, puta, quod etiam juvantia et nocentia docent.

7. Abusus remediorum. Remedia antiphlogistica longiori tempore adhibita, solventia, laxantia salina, narcotica, opium, aqua Laurocerasi, acidum borussicum et mercurialia solutionem sanguinis, laxitatem et debilitatem advehentia scorbutum facillime adducere, valent.

PROGNOSIS.

Scorbutus semper sistit morbum gravem.

Foventibus tamen circumstantiis et sub medela congrua est sanabilis non tantum in stadio primo

sed etiam in reliquis stadiis, in tertio quidem stadio maximam partem morte terminatur.

Scorbutici in navibus brevi tempore sanantur, si aëre libero, vegetabilibus recentibus et animi hilaritate utuntur.

Scorbutus terestris raro magnum gradum adquirit, si non cum aliis morbis, arthritide, syphilitide complicatus est.

Spem sanationis praebent, imminutio et color macularum et quidem ex profundo in rubrum aut flavescentem versus, transpiratio, saepe diarrhoea levans non debilitans sub medicamentis debite adhibitis.

Quo longius vero morbus durat, quo difficilius causae amoveri possunt, quo pronior constitutio aegri in huncc morbum, eo infaustior prognosis est statuenda.

Symptomata, quae summum periculum designant sunt: Dyspnoea insignis, diarrhoea debilitans sanguiolenta, haemorrhagia, lypothimia, hydrops et complicatio cum aliis morbis.

Scorbutus non raro, et isi sanatur, relinquit morbos secundarios, dolores nempe chronicos in ossibus, phthisim, hydropem et alios morbos cachecticos.

Cancer aquaticus ob causas difficillime amovendas, ob decursum rapidum et ob defectum medicamentorum congruorum raro sanatur et post sanationem non raro insignes remanent destructiones gangrenosae.

THERAPIA.

Haec duplex est, prophilactica et therapeutica.

1. Cura prophilactica consistit in causarum occasionalium amotione, quae praecipue necessaria est in navibus. Ad quem scopum summa mundities observanda, navisque construenda sit congruis ventillatoribus ad aërem renovandum.

   Aër jam impurus corrigendus sit fumigationibus cum acidis mineralibus aut nitro. Animus nautorum exhilaretur, suscipiatur debitus corporis motus; cura munditici corporis et domiciliorum nec non vestimentorum sit generanda.

   Utantur nautae aqua pura sufficienti quantitate acidi carbonici inpregnata, et si depravatur, cum aceto et succo citri, acido sulphurico et elixirio acido Halleri corrigetur.

   Cibi adhibendi sint vegetabiles, sinapis, herba cochlearia, raphanus, armoracea, cepa, rumex acetosella et carnes varia ratione confectae ut per longius temporis servari possint.

2. Therapia in sanando scorbuto tres habet inplendas indicationes.

   a) Causam amovere. — Adhunce scopum illa

in usum trahenda sunt, quae supra de cura prophilactica diximus.

b) Morbum secundum essentiam tractare, nempe vires erigere et sanguificationem corrigere. Ad hunce finem primum locum occupant, vegetabilia acria, armoracea, cepa, allium, rumex acetosella, cochlearia aut succus recens aut conserva.

In languore systematis arteriosi commendantur aetherea-oleosa acria, radix calami aromatici, cortex cinamomi.

In summo torpore et debilitate scorbutus requirit remedia roborantia, amara amaro-aromatica, et quidem, corticem aurantiorum, radicem gentianae, absynthium, centaurum minus, trifolium fibrinum. Summum vero locum occupant sic dicta antiseptica: Succi vegetabilium et acida diversatum vegetabilia et mineralia uti sunt: succus citri, aurantii, ribium, herbarum, pomorum, cerassorum, prunorum, et brassicae fermentatae, acidum aceticum, acetum aromaticum, acidum sulphuricum, elixirium acidi Halleri et-vit. Mynsichtii praeprimis in altero stadio.

In propitate ad haemorrhagias in usum trahenda sunt: Salvia, cortex Peruvianus, quercus, salicum, hyppocastani et alumen.

His adjungitur victus digestu facilis, succulentus ex brassica fermentata et fructibus hor-

raeis acidulis constans, propotu aqua aut cerevisia amaricans bene defaecata, aut decoctum malti cum acido quodam vel vino tenui acidulo, et malo multum provecto vinum annosum austriacum, rhenanum, budense aqua congrue dilutum.

Magni momenti porro sunt remedia diversa externe adhibita et quidem lotiones vel ex aqua mera frigida vel cum vino, cremato, spiritu camphorato vel infuso vinoso herbarum aromaticarum composita.

3. Tertia tandem indicatio in symptomata graviora et complicationes dirigenda est,

Maculae scorbuticae requirunt lotiones, ut supra descriptas.

Dolores, rigor, tumor artuum et articolorum fomentationes exposcunt callidas ex humoribus spirituosis, e vegetabilibus aromaticis, narcoticis, et antiscorbuticis cum lacte et aqua calcis. —

Diarrhoea clysmata desideri mucillaginosa adstringentia cum opio; intumescentiae oedematosae decoctum turionum, pini, infusum paccarum Juniperi.

Lypothimia stimulantia volatilia et dispnoea antispastica requirit. Maximam ittentionem in se trahunt gingivae, haemorrhagiae et ulcera.

Gingivae sanguinem fundentes postulant colutoria e decocto quercus, salicis, chinae,

tormentillae et ex infuso salviae cum spiritu cochleariae, acidis mineralibus, tinctura myrrhae et alumine. Ulcera exposcunt acidum citricum aut sulphuricum cum melle rosarum remixtum. In haemorrhagiis ut jam antea partem maximam monitum est adhibeantur adstringentia, alumen cum aliquot granis gummi Kino, serum lactis cum alumine et acidis mineralibus.

Ulceribus praesentibus remedia efficacia habentur, solutio aluminis aquosa vel in decocto tormentillae salicis, china aut alumen in pulvere; solutio gummi Kino in vino rubro; acidum citricum aut sulphuricum dilutum; cataplasmata ex dauco carota, vapores acidi nitrici, camphora cum gummi arabici pulvere, myrrha et infusum herbarum aromaticarum.

Inter complicationes scorbuti, haec cum syphilitide maximi est momenti.

Convalescentia diaetica supra memorata, acida et tonica requirit, et ultimo curam claudunt praeparata ferri.

HISTORIA MORBI.

J. K. 25 annum egressus, miles gregarius, constitutionis laxae, temperamenti melancholici, infans cephalalgia frequente, vicenarius febri intermittente quartana laboravit, quae phisconiam hepátis et lienis reliquit. — D. 28. Februarii a. c. in nosocomium militare cum febre catarrhali et doloribus capitis diris susceptus, intra paucos dies sanatus; ast ex errore diaetetico recrudescit cephaleae adsociatur diarrhoea. Sub tractamine antiphlogistico per quatuordecim dies continuato malum recens consopitur; novae esurgunt digestionis turbae, anomalia in se- et excretionibus; sensus opletionis in abdomine, debilitas praeprimis muscularis, dysphoria magna. D. 6. April. in clinicum suscipitur: Magna debilitas et lassitudo; facies pallida, tumidula, tristis sapor ingratus; sitis vehemens, praeprimis in acidula, avidum desiderium vegetabilium recentium, gingivae laxe spongiosae, tumidae, facile sanguinem plorantes cum halitu foetente; tussis rara cum dolore sub sterno et sputis mucosis. In hypochondrio utroque et regione inquinali intumescentia notabilis dolorifica; lien durus; quadruplo volumine auctus; sinister hepatis lobus aeque durus; normali major; urinae ex fusco-rubrae, turbidae, scrotum lividum margine virescente cinctum, cutis terrea, cachectica, sicca; pulsus modice frequens, secus normalis: in extremitatibus inferioribus sensus ponderis torpo-

ris, genuum rigiditas; nonnumquam in femoribus et cruribus dolores trahentes, omnem motum inpedientes ibidem maculae numerosissimae scorbuticae diversissimae magnitudinis. Parsanterior femorum crurumque tumida, dolores trahentes in ea, posterior dura. Inf. ex herba centaur. min. sem. foeniculi āā dr. duabus; inf. rhei chinens. dilut. et syrup. rub. idaei p. potu, caro vitulina assat. c. armoracea rasa et brassica fermentata p. victu, acet. vin. p. lotionibus. — D. 7—8. April. Increscit morbus — ad vesperas febricula, quae — d. 9. April praeprimis invalescit. — D. 10. April. Gingivae exulcerationi jam proximae; pulsus normali frequentior ac debilior; urinae ex fusco. rubrae; in extremitatibus sensus ponderis; genuum rigiditas et musculorum durities increscit. — Vesperi consueta febris exacerbatio; exsuperante aestu ingrato. — D. 11. April. Eximia totius corporis lassitudo ac dedolatio; facies terestris, tristis, oculi lanquidi; flagrans acidulorum cupido; gingivae ulcerosae sponte sanguinem fundentes nigricantem, tussis nimis frequens, cum dolore punctorio sub sterno et sputis formatis; intumescentia hypochondriorum et regionum inquinalium aperte imminuitur subpressione non amplius dolorifica, sensus plenitudinis in abdomine disparet; hepar et lien volumine minores minus duri; urinae largae coloris laetioris, scrotum minus lividum, pulsuum conditio eadem, alviductiones molles, dolores in extremitatibus adhuc trahentes, maculae lividae minutae et rariores. — De nocte sudores largi. — D. 12. April. Omnia symp-

tomata subjectiva et objectiva formidanda perstant, imo gingivae magis exulceratae, halitus oris ingratius foetens; extremitas dextra circa maleolos tumet et livescit; cutis sudoribus male olentibus cooperta. Herbae cent. min. substituitur trifolium fibr. reliqua eadem. D. 13—14. April, Resolutio scorbutica nova capit incrementa. Facies circa oculos et tempora virescit, articulationes pedum tanto tenentur rigore, et omnis inhibiatur motus; physconia, catarrhus febrisque decrescunt. Augetur herb. trifol. febr. sem. foenicul. dosis ad. unc. dimidiam.

Sub crepusculo magno ex medicamentis oboritur systematis sanguiferi concitatio; supervenientibus sudoribus largis, multum levamen ferentibus. — Nox reficiens. — D. 16. April. Facies minus pallida et tumida, exhilarata, oculorum splendor fere normalis, gingivae minus rubrae, solidiores: tussis rara, tumor in hypochondriis fere nullus: sensibilitas ibidem exigua, alvus regularis, urinae lacte rubrae, in scroto maculae minus livescunt, cutis minus lurida, transpirans, pulsus fortitudo normalis, frequentia quidpiam excedens, ponderis et torporis in extremitatibus decrementum, genua mobiliora, ast articulationum pedum magna adhuc rigiditas, maculae livescentes et virescentes quoque pallescunt, nonnullae ex integro evanidae, pleraeque imminutae; musculi mollescunt. Tantis ex medicaminibus emolumentis obtentis, nulla mutatio in Therapia admittitur. — D. 18. April morbus pergit decrescere ad meridiem ager errorem committit diaeteticum atque non im-

pune; statim enim mulctatur nausea, mox cephalea pressiva, ructibus inamoenis, sapore alienate, sensu oppressionis in abdomine torminibus et alviductionibus fluidis.

D. 20—24. April. Statu gastrico profligato, et omni morbo ad pristinum tramitem reducto, deambulatio in cubili suadetur et favente coelo aeger in apricum defertur.

D. 25. April. Febris symptomaticae jam dudum nullum vestigium; aperta physconiae imminutio, et laudabilis digestricium conditio, ast passio scorbutica non aequalem offert emendationem. — Inf. amaro-aromatico, extr. chinae aquos. ad scrupulum.

D. 26—27. 28. April. Acid. sulphuric. dr. semis, adjicitur. Lotionibus cum aceto-aquae frigidae librae duae. cum acid. sulphurici unc. semis substituuntur, vini austriaci, libra conceditur, victus augetur.

D. 3. Maji. Vires eriguntur, catarrhus pulmonum, pleraque scorbuti symptomata recedunt, imo evanescunt; aeger hilaris somno fruitur quieto et reficiente, ast durities musculorum et maculae, ardua articulationum pedum mobilitas, tumor ipsarum pertant. — D. 6. Maji. Decrescit tumor et durities in extremitatibus et in articulatione pedum sensim mobilitas restituitur. Aquae destill. Foenicul. unc. sex., ext. chinae. aquos. gent. āā dr. semis. — D 8. Maji. elix. vitriol. Mynsichti scrupulus medicinae additus fuit. — D. 24. Maji sub therapia postrema instituta emendatio morbi celerius ad hucusque progressa

est ut praeter defectum roboris normalis nil aliud morbosi observatum fuerit. — Dt. inf. ex cort. peruv. r. t. dr. duabus, rad. calam. aromatic. dr, una cum elix. Mynsichti et elaeosaccach. Foeniculi dr. duabus. D. 28. Maji. omnibus functionibus vitalibus rite procedentibus, duritie musculorum in suris, tumore circa malleolos evanidis aeger in reconvalescentium divisionem dimittitur.

LITERATURA.

Rossei, de magnis Hippocratis lichenibus 1564.
J. Lind. Abhandlung vom Scharbock.
Wieri. Observatio de Scorbuto.
Boerhavii. Aphor. 1148—1164.
Ch. L. Hoffmann. Vom Scharbock, 1782.
Millmann. Untersuchung der Symptome des Scharbocks und des Faulfiebers, 1795.
Th. Trotter. Neue Bemerkung über den Scorbut.
J. Marsowsky. Diss. de scorbuto.
J. N. Kochlin. Ueber den Scharbock.
J. W. M. Darthy. Diss. med. inaug. 1822. etc.

THESES.

I.

Scorbntus non agnoscit remedia specifica.

II.

Non qualitas sed quantitas solum dat venena.

III.

Existit dispositio scorbutica cogenita.

IV.

Senectus ipsa non est morbus.

V.

Morbus maculosus haemorrhagicus Werlhofii scorbutus est.

VI.

Indicatio operationis chirurgicae ad medicinae pertinet forum.

VII.

Dolor non semper ibi, ubi morbi sedes.

VIII.

Sanitas prius noscenda, ut morbus cognosci possit.

IX.

Vitam continuo variare summae sanitatis praesidium.

X.

Non omnes morbi sunt sanandi.

XI.

Sedes morbi ex functione organi laesa ut plurimum cognoscenda.

XII.

Animus plurimum habet influxum in morbos epidemicos.

XIII.

Operationes chirurgicae summum sistunt artis atque scientiae medicae culmen.
